



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Alphonsi Madriliensis De Vera Deo Apte Inserviendi methodo Libellvs Avreus**

**Alfonso <de Madrid>**

**Coloniae, 1608**

De modo patientiæ comparandæ & conseruandæ. Cap. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48891](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48891)

mentia mala, quòd Dei beneficia nõ  
 acceptarunt, cum possent. Stultum  
 est autem gloriari, quòd demens esse  
 nolueris, alioqui posset quispiam  
 præsumptuosè seu pomposè incede-  
 re, & causam rogatus respondere i-  
 deo se id facere, quòd cum stultus  
 esse potuisset, & in puteum insilire,  
 nolisset ea facere. Atqui talis fanè  
 omnium iudicio stultus haberetur.

Quanto magis is de quo loquimur:  
 nam etiam quòd Dei beneficia acce-  
 ptauerit, vel non reiecerit, potissi-  
 mum illius habet auxilio. *Quid ha-* <sup>1. cor.</sup>  
*bes* (inquit D. Paulus) *quod non acce-*  
*pisti? si autem accepisti, quid gloriaris?*  
 Qui ergo hoc considerans in se glo-  
 riatu fuerit, firmissimum habet, se  
 dementissimum esse ac vanissimum,  
 omniq̃ bono vacuum, & ita quan-  
 tùm libuerit se iactet, ac gloriatur  
 in tanta dementia.

CAPVT VIII.

*De patientia & de ratione illam con-*  
*parandi ac conseruandi.*

F 3

Al-

*Humili-  
tas & pa-  
tientia so-  
res.*

**A**ltera virtus quam supremus  
noster præceptor vult, vt ab  
ipso discamus, est patientia,  
quæ humilitati ad eò germana est, vt  
propemodum semper iunctæ inue-  
niantur, & eisdem vijs aut semitis  
quibus inuenitur vna, inuenitur &  
altera. Quemadmodum enim supra  
dictum est, necesse esse ad obtinendâ  
humilitatem, vt ante oculos ponamus  
humilitatem filij Dei: ita debet  
idem fieri ad patientiam obtinen-  
dam. Quis conqueretur acceptis in-  
iurijs aut afflictionibus, si sit illa cõ-  
meritus, quemadmodum sumus om-  
nes commeriti, dum considerat  
quanta mansuetudine passus est, tot  
ac tantas exacerbationes, persecuti-  
ones, amaritudines ac tormenta, v-  
nâ cum morte acerbissima, is qui,  
præterquam quòd verus Deus erat,  
omniumque dominus ex nobiliori  
complexione, supra cæteros omnes  
homines magis perceptiuus erat af-  
flictionum, magisque delicatus?  
Quis mansuetè non sustinebit, in re-  
medium propriorum delictorum,

occur-

occurrentes labores & angustias, si consideret Deum suum longè maiores sustulisse pro alienis, hoc est, ut remedium adferret nostris malis? Modus autem assequendi hanc patientiam, latè supra descriptus est se-  
 primo documento. Verùm cum nunc in ipsius patientiæ capite versemur, præstat ut hoc loco magnæ opes latius proponantur, quas oportet ex quavis suborta impatientiæ occasione eruere, ad quod, exempli causa, proponamus odiosum aliquid, quod nobis potest occurrere. Suspicas ex modica quadam causa, dixisse quempiam aliquid de te mali, quod nunquam commisisti. Hac suspitione tria aduersus animum tuum obijciuntur tela: primum prauis iudicij, alterum laboriosæ impatientiæ, & tertium odij aduersus eum quem id dixisse suspicaris. Porro seruus in arte militari regis cælestis industrius, debet tria hæc ad eò periculosa tela ita excipere, & ab eis se tueri, ut à nullo ipsorum vulneratus, referat à quolibet illorū singu-

*Suspicio  
 causa triū  
 malorum.*

*Temerariū iudicium non admittēdum.*

*Matth. 7.*

*De iniuria nobis illata gaudere debemus.*

*Odium in alium, amoris in illum iaculo retinēdū debet.*

larem animæ suæ pulchritudinem, ad magni illius regis gloriam, in cuius obsequium præliatur. Fiet autem hoc modo. Primo telo debet corpus subducere, inclinando voluntatem ne illud acceptet, consentiens tali iudicio, sed considerans nobis vetitum à summo iudice, ad quem solū id pertinet, qui ait: *Nolite iudicare.* Magno ergo gaudio debemus id relinquere: nec illius officium nobis usurpare. Secundum telum debet omnibus viribus excipere, gaudens ex dolore & iniuria quæ inde provenit: & quantò magis visus fuerit de eo gaudere, tantò minus ipsum diabolus de impatientia impugnabit, ne tanti meriti præstet ipsi occasionem. Ut autem de secundo telo possit ita contingere, operæpretium erit ad caput de sui ipsius odio recurrere, ut ex ijs quæ ibi dicuntur vires ad hoc assumat. Tertio iaculo, nempe odio aduersus eum de quo habetur suspicio, aut certa fortassis notitia, quòd hoc dixerit, debemus occurrere, inclinando voluntatem, ad producendum

dum singularem actum amoris ad  
 illum, cum liberi simus, diuino assi-  
 stente auxilio, ad volendum quic-  
 quid libuerit, & operi nostro finem  
 imponendi qui placuerit, veluti se-  
 xto documento declaratum est. Et  
 quemadmodum visum est nos debe-  
 re nobis prouidere aduersus prædi-  
 cta tria iacula, ex modica illa occasi-  
 one orta: ita pari modo nos habere  
 debemus ad omnia iacula, quæ in vi-  
 ra nostra nobis occurrent in omni re  
 aduersa, vel poenam adferente, quò  
 eò modo ad singula nobis prospici-  
 amus, vt in anima nostra semper il-  
 laesa permaneant patientia, vtque vno *Anime*  
 verbo concludatur, meminerimus à *custos pa-*  
 Christo dictum esse, *patientiam possi-* *tiētia est.*  
*tere animas nostras.* Cert<sup>o</sup> esto quòd *Luc. 21.*  
 cum ille determinauerit patientiam  
 habere in ipsa possessionem, quòd *illaesa pa-*  
 illa deficiente, relinquitur anima *tiētia,*  
 veluti iam perdita: neq; enim à Deo *salua ma-*  
 alium obtinebit possessorem, si hunc *net & a-*  
 sibi eripi permiserit, neque à se aliū *nima.*  
 habere potest qui bonus sit. Itaque  
 in summo est periculo, ne à quouis

captiua ducatur, cum leo ille rugiens nunquam dormiat, sed semper circumeat, plurimos deuorans, non tamen huiusmodi possessores, aut eos qui à patientia possidentur. Beatos ergo mites ac pacificos dixit is, qui largitor est beatitudinis.

*Matt. 5.*

## CAPVT IX.

*De quatuor animi affectibus, quo pacto duci, gubernari, aut abijci ipsos oporteat.*

**G**Audiū, tristitia, spes ac timor sunt naturales quidam animi affectus, qui in singulis nostrū inueniuntur. Naturale enim est ut quisque de præsenti bono gaudet, de accedente malo tristetur: futurū speret bonum, ac metuat malum. Id ergo est, quod de his affectibus ad Deo seruiendum est dicendum, quo pacto eos frænari & cautè duci conueniat. Plurimū enim mali inferre possent, si effrenes vel liberi in nobis relinquerentur, eò quòd nunquam in anima nostra vagari seu disc-

*Affectus  
animi  
qui.*

*Affectus  
animi co-  
erceri de-  
bet.*

cur-